



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

105. De Translatione corporis S. Lamberti Traiecto Leodium. Plurima eò
pertinentia explicantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

DISSERTATIO CV. |

De Translatione corporis S. Lamberti Traiecto
Leodium. Plurima eò pertinentia
explicantur.

Nno 711. S. Willibrordus interfuit
celeberrimis elevationi translationi-
que corporis S. Lamberti Martyris
Traiecto Leodium factis per S. Hu-
bertum illi vicinissimum, & amicis-
simum. Narrabo eam ex vetusto scrip-
tore vitæ S. Huberti coæuo eisdem
& S. Willibrordo, tum ad eam ple-
nius capiendam, tum vt videant Hagiomachi nostri quan-
to honore curauit SS. Reliquias maiores nostri habuerint
quas ipsi ad eò viliter & contemptim habent. Is capitulo 3:
*Anno autem ordinationis eius (Huberti) duodecimo. Crebras sibi
prodidit (Hubertus) perlatas, sub noctis quiete, visiones, quibus
se communitum fatebatur, vti à Traiectensi oppido, ossa S. Lamberti
leuaret, & in locum, quo celebratam eius passionem nosset, iterum
humanda reduceret. Quarum admonitio eius animum inestimabili
recreauit gaudio. Attamen in quodam meditullio positus, cum neque
visioni certam fidem tribueret, neque omnimodis ei diffideret: quod
sibi erat occultum, iudicauit à Domino quarendum. Nam indicto
cunctis, tam monasterialibus, quam è ciuitatis Clericis, necnon &
laicis, ieiunio, qua sibi diuina voluntas de his agere preciperet,
magnopere requirere studuit. Tandemq; edoctus, ancipiti summo-
tà sententiâ, tertio decimo anno sui presulatus, casu clericorum sibi
adiuncto, nec non populari agmine coacto, accitis etiam venerabili-
bus Episcopis, & Sacerdotibus, tumultum venerandi viri adiit: ibi-
demq;*

demq; spirituales observantes excubias, diuinitatemq; pulsantes precibus, honorantes laudibus, rogabant, ut que Anistiri suo facienda mandauerat, quo persicerentur, ceptis annueret secundosq; prouentus attribuendo, suam voluntatem ut taliter fierent, cunctis palam ostenderet. Quorum pijs votis omnipotentia diuinitatis annue-
 re libuit. Nam cum maximâ veneratione urnam, quâ Sanctissimus cinis conditus seruabatur, adentes, absq; aliqua difficultate, busta beati viri ex loculo protulere, & cum magno gaudio, qua venerant, pedem referentes, in loco, quo passus est, terra mandauere. Quantis autem, qualibusue miraculis, suum velle Dominus, in tali facto, per omne iter reuersionis eorum, commendarit, sedula gestorum eiusdem Sancti Pontificis annotata continent. Fabrica autem eiusdem Basilica, qua beati viri condita sunt reliquie, qualiter ab eodem viro S. Huberto ordinata sit, quia oculis videntium se offert, de ea aliquid dicere subsedi. Hęc vetustus ille auctor antequam vel Hussū aut Lutherū vel ex illis infelicibus ouis natum pul-
 lum orbis vidisset. Nostrum est hęc aliqua annotare & elucidare. Ac in primis N. Diuinis oraculis, monitis, visionibus alijsque caelestibus signis corpora SS. sæpenumero esse inuenta, eleuata, translata, quo facto Deus declarat suæ voluntatis esse eorum venerationem & cultum. Talibus prodierunt ossa SS. Stephani, Gamalielis, Abybonis, anno 415. vide Baronium ex epistola Luciani illud fusc differentem ad dictum annum. Sancta Odilia de numero vndecim millium virginum dixit in visione Ioanni de Ep-
 pa conuerso Parisijs in conuentu S. Crucis: surge. Frater; Coloniae iuxta S. Gereonis Ecclesiam, in viridario Arnulphi, inuenies ossa mea sub piro marmoreo Sarcophago, quæ in primarium S. Crucis Cœnobium, iuxta oppidum Huiense, volo transferri. Molanus in natalibus 18. Iulij & in Indiculo SS. Belgij. Occisis per Barbaros duobus Euuaddis radius lucis per maximus atque ad celum

vsque altus omni nocte super locum fulgebat illum vbi-
cumque ea (Eualdorum corpora) peruenisse contingeret
& hoc etiam Paganis qui eos occiderant intuentibus. Sed
& vnus ex eis in visione nocturna apparuit cuidam de so-
cijs suis cui nomen erat Tilmon viro illustri & ad sæculum
quoque nobili qui de milite factus fuerat Monachus, indi-
cans quod eo loci corpora eorum posset inuenire vbi lu-
cem de caelo terris radiasse conspiceret. Quod ita comple-
tum est. Beda lib. 5. Hist. Anglicanæ cap. 11. Deus propter
iniquitatem habitantium (in Doorne apud Antuerpiam)
exolus locum, reliquias ipsius (S. Fredegandi) iussit altè
transportari, vt nullum esset obstaculum contra desolati-
onem. Molaus 17. Iulij de S. Fredegando. Cælesti oramate
trahente corpora SS. Dijnpnæ & Gereberni Sacerdotis à
nefario Hibernorum Rege occisorum in pago (Distat is se-
mi-hora à nostro Tungerloensi Monasterio) Sammale ab in-
colis Geelensibus eleuantur inque eorum Ecclesiã S. Mar-
tini honorifice transportantur. Sic vita eiusdem Sanctæ
& traditio incolarum Sãmalemensium & Geelensium. Quini-
mò ea certo loco velle coli seruarique indicat nonnum-
quam Deus. Ipso enim tempore quo Petrus & Paulus sunt
Romę passi, testatur Gregorius lib. 3. Epist. 30. Orienta-
les Christianos Romam venisse, vt ipsorum, tamquam
suorum gentilium, reliquias veindicarent; sed diuino mi-
raculo impeditos, eas secum portare nequiuisse.

N. Secundò, si quando oramata forent incerta, solere fi-
deles per ieiunia iuncta precibus eorum declarationem à
Deo impetrare. Vide epistolam Luciani supra & eundem
Baronium ad annum 566. Sic Pater noster Norbertus sol-
licitus & incertus de reliquijs inueniendis, præindicto suis
confratribus nouiter conscriptis ieiunio, reuelationem
corporum SS. Gereonis sociorumque ac duorum Eualdo-
rum

rum obtinuit quæ suo Praemonstrato inuexit.

Accitis etiam venerabilibus Episcopis. Hoc honoris defunctis sanctis, & maximè Martyribus: hoc officij viuis Fratribus, Coëpiscopis, pij Episcopi præstare solebant. Docent hoc historię Ecclesiasticæ sæpenumerò obuiantes.

Spirituales obseruantes excubias, id est nocturnas vigilias quæ in magnis festis magnisque negotijs frequentabantur. Vbi attende priscum Ecclesiæ nocturnarum vigiliarum vsum, quas veteres, nunc lucernarium, nunc lucernales, vespertinas preces, lucernarium officium, peruigilium, Tertullianus ad vxorem lib. secundo cap. quarto nocturnas conuocationes vocant; consule Baronium de hoc vsu fusè discurrentem ad annum Christi 51. qui addit: *Porro de antiquo in Ecclesia sacrarum vsu vigiliarum, de quo agimus, non solum innumera SS. Patrum tam Latinorum quam Grecorum suppetunt testimonia, sed etiam scriptorum gentilium, videlicet Plinij iunioris, Luciani, Ammiani Marcellini, quorum verba ibidem proferunt.*

Sed quinam illi cōoperatores, coexcubitores acciti Episcopi? author neminem nomine expressit. Non negandum quin vocati sint Episcopi S. Lamberto & Huberto familiares & vicini. Id suadent charitas & ratio. Curenim relictis ijs è longinquo iuisset accersitum Episcopos Hubertus? Inter familiares autem & vicinos facile primus numerandus S. Willibrord. qui cum S. Lamberto de propaganda fide sæpius contulerat: Huberto familiariter utebatur, in cuius Diocœsi non raro videbatur quod in ea Princeps resideret qui sæpe erat adeundus: ab eodem Pontifice Sergio non longo ab inuicem interuallo erant Romæ Episcopi ordinati: item Diocœses omnino contiguas habebant. Nobiscum planè consentit Ioannes Roberti in notationi-

bus ad dictum textum, qui simul alterius testimonium adducit his verbis:

*Clarissimus Vir, D. Claudius Despretzin suis ad me missis Anale-
ctis, ex antiquis MS. scribit huic Translationi affuisse Annonem
Archiep. Coloniensem, Rigoberium Archiepiscopum Remensem, Vin-
dicianum Episcopum Atrebat. Garalphum Tornacen. Berkemba-
dum Morinen. Dominicum Ambianen. & Willibrordum Ultraiecten-
sem. Adde ego Swibertum omnium nominatorum vicinissi-
mum Werdaë ad Rhenum residentem. Cur enim adeo
Reuerendus Antistes adeo loco propinquus negligetur?
presertim cum in more esset, vicinos Episcopos in simili ne-
gotio conuenire.*

*Vnam qua Sanctissimus Cinis conditus &c. Nemo hinc pu-
tet Corpus S. Lamberti in cineres omnino abiisse. Nam
quod hic cinerem, ante sacra ossa, & post reliquias,
busta, vocat author. Et affirmant Anselmus & Egidius in
gestis S. Lamberti cap. 11. Item in iisdem Godeschalco
cap. 14. & Renerus, ca. 26. integrum corpus S. Lamberti esse
reperitum. Eorum verba adferre non est opus. Reperies ea
simul apud Chapeauille tomo primo Annalium Leodien-
sium.*

*In loco quo passus est terram manducare. Is est Leodium, tunc
villa parui nominis, sed qua post aduentum reliquiarum
S. Lamberti & simul eò translata sedem Tungrensium
auspicij S. Huberti in magnum nomen adoleuit.*

*Qua vero sacra pompa ritue metaphora illa sit peracta,
particularius depingit nobis Godeschalco illi ætate prox-
imus, utpote sub Pipino Francorum Rege & eius filio Ca-
rolo Magno in vitis agens, qui supra cap. 14. hæc: S. Hu-
bertus quondam illius discipulus, illo tempore Pontificatum procu-
rans, auditis, cum predictis miraculis, his visonum præceptis
cum timore Dei, omnem rei certitudinem sciscitatur: & cognita
veritate*

veritate, scilicet quod Dei nutu hac disponi constarent: honorum
 virorum adiutorio, & consilio, deliberavit, ut absq̄ di-
 latione, corpus sanctissimum, ad locum predestinatum, cum magno
 honore deferretur. Preparavit etiam indumenta cultiora, & omnia
 qua essent necessaria in in sacratissimi corporis diuersis impendijs: &
 accessit illuc, cum multorum Sacerdotum, omnium Ecclesiasticorum
 graduum comitatu, & cum Christianorum multorum frequentia,
 qui secundum ritum diuinae religionis, Psalmos, & hymnos decan-
 tarent. At venerabilia membra Christi Martyris, odore suauissima
 fragrantia, Hubertus Pontifex salua & intacta inuenit, quae cum
 timore, & honore, imo de sepulchro eleuans, pretiosis vestimentis
 inuoluit: ea vero quibus fuerat tempore sepultura indutus, sub sigillis
 signata, reposuit. Hinc inde fratrum fideliter Psallentium Chori,
 suauissima organorum, & Cymbalorum modulatione, concinebant:
 & hinc Angelica agmina psallentia, & de triumpho S. Martyris Deū
 laudantia, ab idoneis testibus, & visa & audita sunt.

Quid interim plebs Legiensis? eiusne corda insignierat
 Caluanus character? Minimè. Audi ibidem eundem
 Godscalcum. At omnes habitatores loci illius (Legiæ) gauden-
 tes, in occursum S. Corpori, quod diu desiderauerant loco passionis
 reportari, exeuntes, cum magno honore suscipiunt, & condignum pa-
 rant ei diuersorium, intra septa clausura sua, complectens Marty-
 rij eius adiculam: quod opere artificum mirabili, & copiosa mole
 auri, & argenti, & gemmarum, lapidumque pretiosorum, ac di-
 uersis structura speciebus, ibidem à potentibus collatis ditatum est, in
 tantum, ut vix sermo exarantis queat exponere. Ibidemque, ut
 dicebat, urbana, & honesta memoria, ex ipsius S. Martyris presen-
 tiâ exorta est, & omne decus, & speciosa compositio, non solum in
 Clero, sed etiam in plebe cœpit haberi: & in Dei veneratione popu-
 lus, qui ante erat agrestis, & incultus, paulatim cœpit esse compositus,
 timoratus & religiosus. Tanta erat virtus & reuerentia
 S. Corporis ut nō solum in mores animorum, sed & in cor-
 porum

porum vim suam exereret.

Quod ad annum, ex hisce antiqui vitæ Hubertinæ scriptoris, quem initio dissertationis produximus, verbis, *Anno autē ordinationis eius duodecimo crebras &c.* ratiocinatur Roberti transpositas reliquias anno 709. concorditer ad suam opinionem de occisione S. Lamberti anno 696. Nos vero qui alium calculum supra inimus de occisione Lamberti scilicet 699., conformiter transpositionem sacri corporis reponimus ad annum 712. Sed quid? sacræ solenni pompe adfuit vel abfuit Pipinus? nulli historici eum præsentē exhibent, qui tamen & actum & stylum ornasset. Imaginor abfuisse, ne præsentī infamis parricidij memoria refricaretur & populi murmur recrudesceret.

Interim notent hīc fidei aduersarij, Episcopos & Sacerdotes gradu distinctos: clericos Monasteriales & alios: vigiliis nocturnas: ossa S. Martyris sacra, Sanctissimum cinerem, corpus sanctissimum è terra reuerenter eleuari: cum magno honore, cum frequentia populi Christiani, secundum ritum diuinæ religionis, psalmis, hymnorum decantatione deferri, honorari, pretiosis vestimentis inuolui: populum sacro corpori occurrere, ei sumptuosa ædificia parare: illatas reliquias plebis mores in melius reformare, quemadmodum nuper actum audiuius in Bohemia dum sacræ exuuiæ sanctissimi Patris Nortberti summo triumpho Magdeburgo Pragam sunt inuectæ. An sunt hæc insignia scholæ Gebennicæ, an adhuc seculum illud pi-entissimum Calvinisticum? an S. Willibrordum Calvinistam prædicabunt?

DISSERT.